



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 101. Aliud concordiae pactum cum Metensibus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

to. Hæ pacis conditiones cum Helvetiis initæ, Encisheimii die vigesima octava Octobris, apposito utriusque partis sigillo, firmatæ fuerunt.

Delphinus, Regem Nancæi conventurus, iter suum per Montis-Belligardi oppidum instituit, interea vero Prezæus Prætor Pictaviensis urbem Metensem obsidione cinxit. Jam septimum mensem tenuerat hæc oppugnatio, quæ unice in gratiam Renati Andegavensis Lotharingæ Ducis suscepta erat. Incolæ, cum Gallos hyemis rigore necquidquam remorante, urbem capere omnino decrevisse cernerent, Nancæum ad Regem alios destinabant Legatos, supplices, ut Rex a cæpto consilio desisteret; cum nullum ipsi jus ad hanc urbem competeret, utpote nullatenus Franciæ Regis dominio obnoxiam.

§. CI.

Aliud concordiæ pactum cum Metensibus.

Minus benigne excepti sunt Metensium Legati, quibus Joannes Rabotavius Regii Senatus Præses paucis respondit, invictis omnino argumentis probari, quod urbs Metensis Galliarum Regum imperio subesset, cujus juris auctoritate nixus Rex eandem sibi tradi juberet. Accepto responso Metenses quantocius alios

H 2

designa-

Sæcul. XV.
A. C. 1444.

Sæcul. XV
A. C. 1444

designabant Oratores amplissima facultate instructos, salva tamen semper hac conditione, ut civitas alienæ non subderetur Dominio, & ejusdem libertates ac privilegia intacta servarentur. Rex tam Metensium constantia victus, quam exercitus sui adeo diuturnam obsidionem pertæsi languore compulsus, postulatis eorum acquievit, ea lege, ut quidem ad deditionem urbis suæ nequaquam adstringerentur, nihilominus tamen ad refundendas obsidionis expensas Regi ducenta aureorum millia numerarent, omnes bello captos absque redemptionis pretio libertati assererent, & Renato Andegavensi Lotharingiæ Duci dimitterent centum millia aureorum, quam pecuniam Metensibus debebat, & potissima ejus parte a Burgundiæ Duce libertatem suam redimebat.

§. CII.

Turmæ Cataphractorum a Rege Gallo erectæ.

Hisce concordiæ articulis utrinque subscriptis, ac executioni mandatis, Rex exercitum ab urbe discedere jussit, & militibus stipendio ex pecuniis, quas nuperrime receperat, soluto, omnibus copiis suis missionem dedit, retentis duntaxat mille quingentis, ex quibus quindecim